

# EPISTULA LEONINA

## CLXXI

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLXX** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM SEPTUAGESIMAM PRIMAM (171) !**

## ARGUMENTA

<b>SERO SAPIUNT PHRYGES</b> .....	03
<b>FABELLA GRIMMIANA</b> ( <i>Die drei Federn</i> ).....	04-08
<b>ADVENTORES</b> ( <i>Carmiggelt/ Knijff</i> ).....	09-11
<b>DE EQUITE LEUCIPPO</b> ( <i>Storm, Schimmelreiter, Pars V</i> ).....	12-22

## LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

### *Cara Lectrix, Care Lector,*

*nunc tibi offero Epistulam Leoninam centesimam septuagesimam primam (171). De hac Epistulâ tibi missâ maximê gaudeo, et bene spero tibi quoque eandem gaudio fore!*

*Sêro sapere Phryges iam scis; scisne etiam, ubi hoc proverbium primo inveniatur? Novistine picturam Troiae ardentis a Monsù Desiderio artificiosissimê confectam? Iamne legisti versionem fabellae Trium Pennarum Grimmianae Latinam? Novistine Simonem Carmiggelt Batavum eiusque narratiunculam Adventorum eandemquem ab Iohanne Knijff bellissimê in Latinum conversam? Iamne legisti novissimam partem Leucippi Stormiani Latinê redditi?*

*Cara Lectrix, care Lector, si omnes has quaestiunculas aut saltim nonnullam negaveris, oportebit quam attentissimê perlegas hanc Epistulam Leoninam centesimam septuagesimam primam: Denuo cena tibi apparata est opipara: tolle lege frueri!*

Medullitus Te salutat  
**Nicolaus Groß**  
 Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
 Die Lunae, 27. m.Aug., a.2018**



### ECCE TROIA ARDENS

# SERO SAPIUNT PHRYGES

Pinxit Monsù Desiderio, alias François de Nomé. (circa a.1593 – 1644).

A dextris Aeneas cum Anchisa patre Ascanioque filio. In recessu equus Troianus Troiaeque urbis parietinae ardentes.

CICERO, Ad familiares 7,16,1: In Equo Troiano scis esse in extremo 'sero sapiunt'. Tu tamen, mi vetule, non sero. FESTUS pp.460,36-462,2 Li.: 'Sero sapiunt Phryges'. Proverbium est natum a Troianis, qui decimo denique anno velle coeperant Helenam, quaeque cum ea erant rapta, reddere Achivis.  
cfr TRAGICORUM ROMANORUM FRAGMENTA, vol.I, edidit Markus Schauer cum Oliver Siegl socio in opere conficiendo, adiuvante Elisabeth Hollmann, Göttingen (Vandenhoeck & Ruprecht) 2012, p.206, 29.

## FABELLA GRIMMIANA


### De tribus pennis



Aliquando fuit rex, qui habuit tres filios; quorum duo fuerunt sciti atque prudentes, sed tertius non multum loquebatur, simplex erat nulloque nomine appellabatur nisi *Baburri*<sup>1</sup>. Rex autem cum consenesceret et contabesceret deque fine suo cogitaret, nescivit, cui filio regnum hereditate relinquendum esset. Itaque filiis dixit haec: »Proficiscimini, et is, qui mihi tapete apportaverit omnium subtilissimum, post mortem meam fiat rex«. Ne filii inter se rixarentur, rex eosdem ante castellum suum duxit et tribus pennis in âera flatis dixit haec: »Hae pennae quo volant, eo proficiscamini.« Una penna in orientem volavit, altera in occidentem, tertia rectâ viâ nec in longinquum, sed mox humum cecidit. Nunc unus frater iit dextrorsum, alter sinistrorsum, et irriserunt Baburum, cui remanendum fuit ibi, ubi tertia penna deciderat.

<sup>1</sup> *Baburrus*, -ī m. orig. der *Dummling*.





Tum Baburrus humi desidens tristis fuit. Subito animadvertit iuxta pennam positam esse ianuam deciduam<sup>1</sup>. Quâ sublatâ puer invênit scalas, per quas descendit. Cum vênisset ante alteram ianuam, eam pulsavit et audivit aliquem intra vocantem verba haec:

»Viridis virguncula,  
rugosipes rubetula,  
quae servis Rugosipedi  
illuc i et huc redi  
age ianuam aperi«<sup>2</sup>.

Ianuam est aperta, et Baburrus conspexit rubetam magnam et crassam et permultis parvis circumdatam. Rubeta crassa quaesivit, quidnam puer

<sup>1</sup> **iānuā dēciduā** orig. *Fallltüre*. cfr Kraft, Deutsch-lateinisches Lexicon, 4.ed., tom.1, Stuttgart 1843, p.915.

<sup>2</sup> orig. *Jungfer grün und klein,/ Hutzelbein,/Hutzelbeins Hündchen,/ Hutzel hin und her,/ laß geschwind sehen, wer draußen wär.* \***rūgōsipēs**, rūgōsipedis orig. *Hutzelbein*. Hoc adiectivum Latinum adhibetur ab entomologis: e.g. Lobosceliana rugosipes, Hypothenemus rugosipes, Arixyleborus rugosipes. - \***rubētula**, -ae f. est deminutivum substantivi, q.e. **rubēta**, -ae f. (i.q. bufo). cfr PROP.3,6,27 illum (sc. amatorem) turgentis ranae portenta rubetae...trahunt.

vellet. Is autem respondit: »Velim habere tapete pulcherrimum atque subtilissimum«. Tum rubeta magna advocavit minorem et dixit haec:

»Viridis virguncula,  
rugosipes rubetula,  
quae servis Rugosipedi  
illuc i et huc redi  
age capsam affer mi«<sup>1</sup>.

Rubeta minor attulit capsam; rubeta crassa eandem aperit et Baburro exemit tapete, quod fuit pulchrius atque subtilius quam omne tapete, quod supra terram potuit texi. Tum Baburrus rubetae gratias egit et ascendit ad terrae superficiem.

Duo autem reliqui fratrem suum minimum duxerant esse tam insipientem, ut crederent illum omnino nihil inventurum et allaturum.

Iidem dixerunt: »Quid est causae, cur magnâ operâ quaeramus?«, primae pastrici<sup>2</sup>, quam inciderunt, pannos crassos ablatos rêgi domum tulerunt. Eodem tempore etiam Baburrus domum reversus tapete pulchrum apportavit, et eodem aspecto rex stupefactus: »Si secundum ius agendum est, filio meo natu minimo regnum tradendum est«. At duo reliqui filii patrem iterum iterumque urgentes dicebant non oportere, ut Baburrus, qui omni mentis acumine careret, fieret rex, eumque rogaverunt, ut sibi novam condicionem proponeret.

Deinde pater: »Is filius« inquit, »regnum hereditate accipiat, qui mihi afferat anulum omnium pulcherrimum«, tres fratres foras eduxit, tres pennas in âera flavit, quas persequerentur. Duo fratres maiores natu iterum profecti sunt versus orientem atque occidentem, Baburro autem penna volavit rectâ viâ et decidit iuxta ianuam terrae. Tum iterum descendit ad rubetam crassam eique dixit se egere anulo omnium

<sup>1</sup> orig. *Jungfer grün und klein,/ Hutzelbein,/Hutzelbeins Hündchen,/ Hutzel hin und her,/bring mir die große Schachtel her.* -

<sup>2</sup> +**pāstrix**, -īcis f. orig. *Schäferweib.* cfr Jerónimo José de Cabra (O.F.M.Cap.), *Oratio etc., Matriti 1796*, p.5: »...ipsam gloriosissimam virginem, Dei genitricem Mariam in ipsamet civitate Hispalensi publice ac sollemniter coepit invocare, colere, deprecari, ac praedicare sub dulcissimo, novoque nomine et titulo mysticae animarum **pastricis**!;...(n.1: Haec vox **Pastrix**, quam multoties in hoc repetere opusculo non dubitavimus, licet in aureae scriptoribus aetatis, Auctoribusve, ac etiam in Dictionariis notum nobis fuerit minime inveniri, ipsam attamen multis in aliis non inferioris notae infra citandis reperimus....) "

pulcherrimo. Eadem statim iussit sibi capsam magnam afferri et Baburro dedit anulum ex eâ sumptum, qui fulgebat lapidibus pretiosis instructus et erat pulchrior, quam ut confectus esset ab ullo aurifice supra terram habitante.

Duo fratres natu maiores de Baburro anulum aureum quaesturo riserunt, nullam operam dederunt, sed rêgi attulerunt anulos currûs detritos, quorum clavos expulerant. Baburrus autem cum monstravisset anulum aureum, rex iterum dixit: »Is accipiat regnum«. At duo fratres natu maiores regem vexare non desierunt, usque dum condicionem tertiam proponens diceret: eum accepturum esse regnum, qui secum domum adducturus esset mulierem omnium pulcherrimam. Deinde tertio rex tres pennas in âera flavit, et eadem volaverunt eo quo volaverant antea.

Tum Baburrus ultro descendit ad rubetam crassam et dixit: »Iussus sum domum adducere mulierem omnium pulcherrimam«.

»Babae«, rubeta respondit, »tu vis mulierem omnium pulcherrimam. Quae non statim praesto est, tamen eam accipias«. Nunc rubeta Baburro dedit rapam flavam excavatam, quae adiuncta erat sex musculis. Tum Baburrus prorsus contristatus: »Quidnam faciam de istis?« Rubeta autem respondit: »Imponas unam ex meis rubetulis«.

Deinde puer ultro unam rubetulam apprehensam rapae flavae imponit, sed vix ea rubetula insedit, statim facta est dominula pulcherrima, rapa facta est carpentum flavum, sex musculi facti sunt equi. Tum Baburrus dominulam osculatus est equisque suis rapide profectus ad regem duxit. Eius fratres postea venerunt, isti vix operam dederant, ut quaerent mulierem pulchram, sed secum adduxerunt prima bacciballa<sup>1</sup> rustica, in quae inciderant. His aspectis rex dixit: »Filius meus natus minimus post mortem meam regnum accipiet«. At duo filii natu maiores denuo aures rêgis clamoribus exsurdaverunt: »Non concedimus, ut Baburrus fiat rex«, et postulaverunt, ut is praeferretur,

<sup>1</sup> **bacciballum**, -ī n. PETRON.61,6, cfr Georges, Ausführliches Lateinisch-deutsches Handwörterbuch, tom.I, 14.ed., Hannover 1976, col. 775: „bacciballum, i. n. (bacca), etwa d i c k e N u d e l, unser vulg. d i c k e H u s c h e l (v. einem beleibten Frauenzimmer), pulcherrimum bacciballum, Petr.61,6.“

cuius uxor saltura esset per circulum aureum, qui medio in oeco palatii esset suspensus.

Iidem enim cogitauerunt bacciballa rustica hoc certê posse, ea esse sat robusta, sed teneram illam dominulam saliendo morituram esse. Rex vetus etiam hoc certamen permisit. Tum duo illa bacciballa rustica saluerunt, per circulum saluerunt, sed corporis crassitudine istae viragines tam scaevae erant, ut deciderent earumque bracchia pedesque deformes diffringerentur. Deinde dominula pulchra, quam Baburrus adduxerat, tam leviter per circulum salutit quam capreola; quo tandem factum est, ut fratres maiores minimo obtrectare desinerent. Itaque Baburrus coronam accepit diuque sapienter regnavit.

## **FABELLAM GRIMMIANAM**

**C.T.**

***Die drei Federn***

**IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**



## ADVENTORES<sup>1</sup>

*Fabula Amstelodamensis a Simone Carmiggelt conscripta a Johanne Knijff in Latinum versa sermonem.*

Oenopolium tenebat mulier quinquaginta fermê annorum, quae videbatur quovis alio loco versari malle – in carcere, apud inferos, quovis loco. Pocula tacita implebat cumque seniculus labens, qui multa iam aperuerat ostia, lentê introcessit constititque ut condicio sua ab eâ aestimaretur num sibi liceret intrare atque pergraecari pergere, nihil aliud fecit illa nisi caput quassans se nolle indicavit. Haud invitus ille se vertit retrogressusque irruit in virum feminamque eo ipso momento tabernam intrantes. Qui nihil de re solliciti iuxta me consederunt.

Vir “Duo pocilla,” inquit, “potione Coniacensi plena affer, quaeso, nec sine saccharo.”

Quinquagenarius erat, non prorsus foedus, at natura nasum eius deformaverat in comaron rubicundum lineâ ore miserê subter ductâ. Mulier pro occasione paululum se exornaverat, inares gerebat necnon petasum qui in tabernâ remanere debuerat. Sigarellum sumpsit e sacculo, et ipse forte accensurus ramentum ei obtuli flammiferum.

“Urbanê, mi domine,” inquit.

Haec vir triste aspexerat. Iam ad tabernariam se vertit pocillaque intacta manu indicans interrogavit eam: “Haec quanti constant?”

“Duobus florenis assibusque decem, mi domine.”

Pecuniâ in mensâ positâ sine ullo verbo tabernam reliquit.

“Quidnam est hoc?” inquit tabernaria.

---

<sup>1</sup> “Klandizie,” e libro cui index *Kroeglopen* (Amstelodami: ex Typis Operariorum, 1962). Gratias ago collegis illustribus Roberto Carfagni atque Professori Harm-Jan van Dam, qui primi hanc legerunt versionem Latinam deque nonnullis mendis me monuerunt.

“Est enim ob huncine dominum,” non sine iactatione muliercula. “Quod hicine dominus ramentum mihi obtulit flammiferum. Iam invidet ei. Neque hodie eum revidebo. Nam talis est vir.”

Tabernaria aliquatenus admirans caput quassavit atque “Hac de re,” inquit, “tibi gratulor, tuâ praesertim aetate. Virum adhuc ita agere...”

“Noli autem putare eum virum esse meum,” muliercula. “Nam adventor est meus. Multosque iam annos. Bis in mense meâ tantum causâ Groningâ venire solet.”

Tabernaria rem magnopere deridens “Quae e longinquo,” inquit, “magis placent! Nonne illîc sunt quaedam?”

“Nihil ad me,” muliercula. “Ille vir me quidem ante alias praeferre videtur. Atque scito eum esse virum urbanum. Hominem doctum. Aedificatorem. Magnifica struxit aedificia. Semperque honestê mecum agit. Tramine vectus mâne advenit, flores mihi emit necnon placentam socolateam, quibus oneratus domum advenit meam. Tum primum stipendium dat mihi, ne eâ de re solliciter. Cafeam ergo bibimus non iniucundê. Fabulor. Ille non. Is raro loquitur. Nescio cur, homo cogitans potius mihi videtur esse. Bene, cafeâ exhaustâ imus in urbem. Fit ut aliquid mihi emat. Strictoriam. Manicas duas. Nuper umbellâ me donavit. Caeruleâ, scin’. Caelo sereno hodie eam scilicet non gero. Sed pulchra atque infragilis. Bene, hîc illîc pocillum bibimus vini plenum neque multum comedimus, tum domum redimus meam.”

Tabernaria attentê audiebat caputque quassans se omnia bene intellegere indicavit.

Tum “Ita, et certê putabis – sed non fit,” muliercula. “Haec enim est res quod ad illum virum attinet mira. Domi res semper eodem modô aguntur. Nonnullas habeo lagoenas in armario, ergo pocillum ei impleo mero, tum ille in cathedrâ considit iuxta fenestram sitâ atque loqui incipit. Tum demum loqui incipit. Scito eum uxorem amisisse, neque nuperrimê. Nam undecim iam sunt anni cum est viduus. Illam autem feminam adhuc magni aestimat. Anna quaedam. Deque eâ loquitur. Anna sic egit, egit ita Anna. Mi domina, nunquam eam vidi,

sed mulierem facile delineare possum tot post annos. Equidem tacita eum exaudio semperque ei assentior, bene enim scio quo res se vertant. Aliquando flere incipit homo. Neque paulisper tantum, etiam longum flet tempus...”

“Mecastor,” inquit tabernaria paene exanimata. “Et quidnam tum facis tu?”

“Egon’? Omnino nihil,” exclamavit mulier. “Quidnam faciam? Suam enim plorans perdit pecuniam. Exspecto dum ploret usque ad finem, tum pallium ei affero, atque en abit ad stationem ferrivariam.”

Duobus pocillis Coniacensi potione plenis inter sermonem exhaustis surrexit illa. Ianuâ post imaginem eius macram clausâ tabernaria multum secum cogitans “Longum,” inquit, “est iter Groningâ...”

HANC FABULAM  
AMSTELODAMENSEM

**SIMON CARMIGGELT**

(1913-1987)  
BATAVUS



CONSCRIPSIT

IN LATINUM CONVERTIT

**IOHANNES KNIJFF**

Theodori STORM fabula novella, q.e. „*Der Schimmelreiter*“, a.1888  
Theodiscê conscripta, a.2018 a Nicolao GROSS in Latinum conversa.

---

# DE EQUITE LEUCIPPO

DER SCHIMMELREITER

Pars quinta



»Das hohe und innerlich vielerfahrene Künstlertum Storms hat nichts zu schaffen mit Simpelei und Winkeldumpfigkeit, nichts mit dem, was man wohl eine Zeitlang ‚Heimatkunst‘ nannte... Er ist ein Meister, er bleibt«. **THOMAS MANN**

*i.e. Latinê:* Ars Theodori Storm magna multimodisque perita nequaquam spectat ad animi stupidam simplicitatem et proprii anguli terrarum laudem Abderitanam, nequaquam ad illam rationem scribendi, quae nescio an aliquamdiu appellata sit ‘ars patriae’... Storm est verus artifex: qui manebit.

**Theodorus Storm: *Der Schimmelreiter (V)***

**DE EQUITE LEUCIPPO**

**Capitulum quintum**

Nec Haucus prorsus falso erat opinatus; puer enim mundum aut id, quod ei valuit mundum, eo clarius intelligebat, quo minus adiuvabatur ab homine prudentiore, et quo magis ei utendum erat facultate propriâ, quâ antea iam erat nixus. Unus quidem vir in domo erat, cui Haucus videretur servus parum aptus; is fuit *Olaus Petersius* servus maior, navus operarius, socius linguâ promptus. Eidem ille, qui prius fuerat servus minor, magis placuerat, ille piger, sed stultus et robustus, cuius umeris securê orcam avenae imposuerat et quem ad arbitrium suum huc illuc agitaverat. E contrario Olaus non potuit eodem modo tractare Haucum etiam tranquilliorum, sed mentis acumine sibi praestantem; is enim Olao servo maiori solebat more proprio aspectandi indicare voluntatis suae firmitatem. Tamen Olao contingebat, ut eligeret labores ab Hauco exanclandos, qui corpori nondum firmato essent periculosi. Haucus autem, cum servus maior dicebat »Utinam vidisses *Dionysium*<sup>1</sup> crassum talia facientem, illi talia feliciter succedebant«, pro virili parte tales labores suscipiebat et, quamvis aegrê, tamen absolvebat. Feliciter autem plerumque accidebat, ut Elca aut ipsa aut ope patris sui impediret, tanti labores ne Hauco exanclandi essent. Nescio an quaeras, quânam re homines unus ab alterâ prorsus alienus interdum inter se coniungantur; fortasse et puer et puella ambo quadamtenus nati erant ad calculandum nec puella passa est sodalem frangi laboribus nimis crassis.

Hieme quoque discordia servi maioris et minoris non mitigata est, cum post Diem Sancti Martini variae rationes nummariae allatae essent revidendae.

Fuit quidam vesper mensis Maii, sed talis tempestas fuit, qualis solet esse die mensis Novembris; intra domum audiebatur aestus marinus foris post aggerem tonans. Tum dominus: »Heus Hauce« inquit, »ingredere; nunc demonstres, num scias calculare!«

---

<sup>1</sup> *Dionysius*, -iī m. orig. *Niβ*.



Ille autem: »Domine honorabilis« inquit, »iussus sum primo cibare pecora iuvenilia !«

»Elca!« comes aggeralis vocavit. »Ubi es, Elca? – I ad Olaum et dic ei, ut cibet pecora iuvenilia; Haucus oportet calculet!«

Elca autem properavit in stabulum et rem mandavit servo maiori, qui modo suspendebat recto loco ornatûs equorum interdiu adhibitos.

*Olaus Petersius* freno lupato<sup>1</sup> tam vehementer impulit statumen, iuxta quod operabatur, quasi idem totum vellet discutere in partes minutissimas. »Pereat iste scriptorculus exsecratissimus!<sup>2</sup>«

Elca autem haec verba audivit antequam clausit ianuam stabuli.

»Quid nunc?« quaesivit pater ex Elcâ conclave intrante.

»Olaus voluit rem iam curare« filia respondit paululum labra mordens, et ex adverso Hauci consedit in sellâ ligneâ scalpendo crassê fabricatâ; tales sellae illo tempore adhuc hîc vesperis hiemalibus conficiebantur. Elca autem e forulo reciproco exemerat album tibiale rubris imagunculis avium ornatum, quod acu texere<sup>3</sup> nunc perrexit; creaturae longipedes tibiali insitae nescio an fuerint ardeae an ciconiae. Haucus adversus Elcam sedebat, calculationibus deditus, ipse comes aggeralis in arcisellio suo requiescebat et somniculosê nictabat versus Hauci

<sup>1</sup> **frĕnum lupĀtum** orig. *Trense*. cfr Franz Anton Meyer, Abhandlung über verschiedene im Königreiche Bayern aufgefundene römische Altherthümer, München 1840, p.29sq.: „.....*Trensens* hießen bei den Römern **lupi, lupata, fr(o)ena lupata**. Horaz macht von einer solchen Trense Meldung (HOR.carm.I 8 Cur neque militaris/ inter aequales equitat, gallica nec lupatis/ temperat ora frenis), wenn er die Lydia tadelt, daß sie den jungen Sybaris in sich verliebt, und zum Kriegsdienste unfähig gemacht hat. Virgil (Georg.III 206) giebt im dritten Buche (Namque ante domandum/ ingentes tollent animos prensique negabant/ verbera lenta pati et duris parere lupatis) seiner Landwirthschaftslehre die Regel an, daß man die jungen Pferde, bevor sie gut genährt werden, zügeln, und erst, wenn sie gut gezügelt sind, recht reichlich nähren soll, weil sie, wenn man diese Ordnung verkehrt, keine Schläge achten und der Trense nicht mehr Folge leisten“.

<sup>2</sup> **Pereat iste scrĭptorculus exsecrĀtissimus!** orig. *Hol der Teufel den verfluchten Schreiberknecht!* \***scrĭptorculus**, -ī m. cfr René Hoven, Lexique de la Prose Latine de la Renaissance, Leiden/New York/Köln 1994, p.325 s.v.: "un écrivassier: OBSOPOEUS in Praef.378,18. – dim de scriptor, avec connot. péjor.." – cfr DESIDERIUS ERASMUS, Literary and Educational Writings, tom.6, p.548: „44 *lectiuncula*] This unusual word is actually used once by Cicero, *Ad familiares* 7.1.1 (and was so recorded by Nizzoli) and Erasmus has presumably remembered it from Cicero, but he seems to have invented *scriptorculus*. These two words are derivatives formed with a diminutive suffix. See De copia CWE 24 338-9 for Erasmus' views on the validity of new formations; for his predilection for diminutives, see D.F.S. Thomson, 'The Latinity of Erasmus#, in: Erasmus 125-6.'"

<sup>3</sup> **acū texere** orig. *stricken*.

pennam; in domo comitis aggeralis duo sebacia<sup>1</sup>, et ante ambas fenestras marginibus plumbeis circumdatas foriculae extrinsecus appulsae erant et intrinsecus attractae; licebat flaret ventus vehementissimê. Interdum Haucus a labore exanclando aversus caput tollebat et per momentum temporis aspiciebat tibialia aviaria aut faciem puellae angustam atque tranquillam.

Tum subito ex arcisellio rhonchus editus est magnus, et inter ambos iuvenes huc illuc volavit subrisio et conspectus oculorum, deinde paulatim secuta est respiratio tranquillior; licuit paululum garrire; sed Haucus nescivit, quidnam garriret.

Cum autem Elca res acutextorias<sup>2</sup> elevaret, ut aves nunc integrae apparerent, Haucus susurravit trans mensam: »Ubi hoc didicisti, Elca?«

»Quidnam didici?« puella rogavit.

»Aves acu texere« Haucus dixit.

»Hocine? A *Catharinâ Iohanneâ* illâ quae habitat foris ad aggerem; quae scit nonnulla; quae olim apud avum meum munere functa est«.

»Sed illo tempore nondum nata eras?« Haucus interrogavit.

»Certê nondum; sed functa quoque munere Catharina saepe in domum nostram vênit«.

»Illane amat aves?« Haucus interrogavit. »Putavi illam magis diligere catts«.

Elca autem caput concussit. »Ea alit anates, quas vendat; sed vere praeterito, quo tu cattum angoranum occîderas, in stabulum aniculae posticum ratti invaserunt; nunc illa vult ante casam aedificare stabulum novum«.

<sup>1</sup> *sēbācium*, -iī n. orig. *Unschlittkerze*. cfr APUL.met.4,19. cfr OLD s.v. „A tallow candle“.

<sup>2</sup> *rēs \*acūtextōriae* orig. *das Strickzeug*. cfr Franciscus Pomay, Magni Dictionarii Regii Trium Linguarum, nempe Latinae, Gallicae et Germanicae, Pars secunda, Augustae, Francofurti et Lipsiae 1767, p.188: "Hosenstricker, m. *un bonnetier ou chaussetier*, tibialium acutextor, m."...

»Itane?« Haucus inquit submissê per dentes sibilans, »eo fine illa lutum lapidesque ex locis aridis apportavit! At aedificando illa tanget viam intermediam! Num illi mulierculae est concessio?« -

»Nescio« Elca respondit. At Haucus ultimum verbum pronuntiaverat tantâ voce, ut comes aggeralis e somno excitaretur. »Quidnam de concessione?« rogavit et vultu paene fero ab uno ad alteram conspexit. »Quidnam loquimini de concessione?«

At ab Hauco de re certior factus ei umerum ridens impellens: »Ah, quid rêfert?« inquit, »Via intermedia est sat lata; Deus comitem aggeralem consoletur, quidnam îdem curet etiam stabula anatum!«

Haucum cum misereret, quod non multum afuerat, quin aniculam eiusque anaticulas exponeret rattis, hanc opinionem concessit. »Tamen, Domine honorabilis<sup>1</sup> « inquit, »nonnullis prodesset quaedam reprehensiuncula<sup>2</sup>, et si tu ipse eos non vis reprehendere, referas de illis mandatario<sup>3</sup>, cuius est curare, ut praecepta aggeralia<sup>4</sup> ritê observentur!«

»Quid ait puer?« Comes aggeralis prorsus erectus consedit, et Elca aures arrigens sivit delabi tibiale artificiosum.

»Ita, Domine honorabilis!« Haucus loqui perrexit, »inspectionem vernalem iam habuisti; tamen *Petrus Iansenius* in agro suo usque hodie non resecurit malas herbas; aestate ibi cardueles<sup>5</sup> certê ludent laetantes circa carduorum flores rubros! Proximê autem iuxta malas herbas – nescio cuius sit – in latere externo aggeri inest vera caverna; tempestas suda cum est, haec caverna<sup>6</sup> plena est puerorum, qui ibi in luto se volutant; at – Deus nos servet ab inundatione!«

Oculi veteris comitis aggeralis etiam etiamque erant dilatati.

<sup>1</sup> **Domine honôrâbilis** orig. *uns Weert*.

<sup>2</sup> **reprehensiuncula**, -ae f. orig. *ein kleiner Zwicker*. cfr J. Ramming, *reprehensiuncula*, in ders., *Neulateinische Wortliste. Ein Wörterbuch des Lateinischen von Petrarca bis 1700*, URL: [www.neulatein.de/words/2/003646.htm](http://www.neulatein.de/words/2/003646.htm) (benutzt am / used on 25.8.2018)

<sup>3</sup> **mandâtârius**, -iī m. orig. *Gevollmächtigter*. cfr Sebastian Adam Krafft, *Kurzes juristisch-praktisches Wörterbuch*, Erlangen 1821, p.223: „mandatarius Bevollmächtigter, Sachwalter, Beauftragter...“.

<sup>4</sup> **praecepta aggerâlia** orig. *die Deichordnung*.

<sup>5</sup> **carduêlis**, -is f. orig. *Stieglitz*, i.q. Distelfink (genus avium).

<sup>6</sup> **caverna**, -ae f. orig. *Wiege*.

»Deinde autem...« Haucus denuo dixit.

»Quid deinde, puer?« comes aggeralis interrogavit, »nonne iam finivisti?« Haec verba sonuerunt, quasi eidem iam nimis longus fuisset sermo servi minoris.

»Porro, Domine honorabilis« Haucus loqui perrexit, »novisti *Vollinam* crassam filiam mandatarii *Hardersii*, quae semper patris sui equos adducit e pascuo – ista suris rotundis ut est, sedens in equâ vetere flavâ, agedum! – semper obliquê equitat praeter aggeris declivitatem!<sup>1</sup>«

Haucus nunc demum animadvertit Elcam oculos suos sagaces in se direxisse et submissê caput concutere.

Haucus autem conticuit, sed pugno senis mensae impulso aures Hauci resonuerunt; »Utinam fulmen in istam iniciatur!« comes aggeralis vociferatus est, et Haucus paene territus est voce illius stentoreâ<sup>2</sup>, quae subito erupta erat. »Ista solvat multam! Notâ istud bacciballum<sup>3</sup>, ut solvat multam<sup>4</sup>, Hauce! Ista puella mihi aestate praeteritâ abstulit tres anaticulas! Ita, ita notâ bene« repetivit Hauco cessante: »Ni fallor, illa captavit quattuor!« -

»Heus pater« Elca inquit, »nonne lutra<sup>5</sup> captavit anates?«

»Tantane lutra?« senex vocavit anhelans. »Equidem scio distinguere Vollinam a lutrâ! Verum enim vero, quattuor anates illa abstulit – ceterum ad ea quae dixeras, dominus comes aggeralis superior et ego, postquam unâ in meâ domo ientavimus, tempore vernali praetervecti sumus malas herbas cavernamque a te memoratas – tamen non vidimus. Vos autem ambo« - et compluries graviter adnuit Hauco

<sup>1</sup> *dēclivitās*, -ātis f. orig. *Dossierung*.

<sup>2</sup> *vox stentoreā* orig. *Bärenstimme*. Stentōr (Στέντωρ) fuit Graecus contra Troianos pugnans, qui tanta voce potuit clamare, ut aequaret vocem quinquaginta virorum (IUV.13,112 tu miser exclamas, ut Stentora uincere possis). \**stentoreus*, -a, -um: cfr nomen ornithologicum: *Acrocephalus stentoreus* *Stentorrohrsänger*.

<sup>3</sup> *istud bacciballum* orig. *das dicke Mensch*. *bacciballum*, -i n. PETRON.61,6, cfr Georges, Ausführliches Lateinisch-deutsches Handwörterbuch, tom.I, 14.ed., Hannover 1976, col. 775: „bacciballum, i, n. (bacca), etwa d i c k e N u d e l, unser vulg. d i c k e H u s c h e l (v. einem beleibten Frauenzimmer), pulcherrimum bacciballum, Petr.61,6.“

<sup>4</sup> *ut solvat multam!* orig. *zur Brüche!*

<sup>5</sup> *lutra*, -ae f. orig. *die Otter*. PLIN.nat.8,109; 32,144.

filiaeque suae - »Deo gratias agite, quod non estis comes aggeralis! Talis enim vir quamvis duobus tantum oculis praeditus oportet videat oculis centum - - Sumas, Hauce, rationes nummarias, quae spectant ad opera stramenticia<sup>1</sup>, et inspice eas; isti viri saepe calculant nimis negligenter!«



#### ECCE LUTRA ANATEM DEVORANS

Deinde comes aggeralis denuo corpus reclinavit in arcisellium suum, quod ponderosum aliquoties huc illuc semovit, et mox se dedit somno securo.

Talia nonnullo vespere fiebant. Haucus acribus oculis praeditus, cum considebant, sibi non temperabat, quin seni in rebus aggeralibus tractandis hoc aut illud ante oculos poneret, quod sive factum erat sive omissum. Necnon nunc, cum comes aggeralis oculos non iam clauderet, improvise res aggerales administrati sunt agilius atque vigilantius et ii, qui prius socordiâ atque negligentiâ inveteratâ peccare numquam desierant, nunc contra expectationem cum sentirent se puniri propter nequitiam aut pigritiam suam, indignati atque obstupefacti quaerebant, undenam plâgas accepissent.

<sup>1</sup> opera stramenticia orig. *Bestickungsarbeiten*.





**ECCE OPERA STRAMENTICIA QUIBUS AGGER PROTEGITUR**  
**Pinxit Alexander Eckener.**

Olaus autem servus maior non cessabat nuntium diffundere quam latissimê, ut apud illos homines odium concitaret Hauci eiusque patris quoque, qui non potuit, quin culpae particeps fieret; alii autem, ad quos res non spectabat, aut quibus cordi erat rerum gerendarum diligentia, ridebant gaudentes, quod iuvenis animum senis fatigatum aliquatenus refocillasset. »Dolendum quidem est« inquiunt, »quod iste catulaster est parum locuples<sup>1</sup>; alioquin fieret aliquando talis comes aggeralis, quales fuere priores; at pauca ista iugera patris parum sufficiunt<sup>2</sup>!«.

Proximo autumno, cum dominus magistratus îdemque comes aggeralis superior<sup>3</sup> veniret ad inspectionem faciendam, veterem *Tedum Volkertsium*, a quo urgebatur ad ientaculum sumendum, aspectans a vertice usque ad pedes: »Verum enim vero!« inquit, »comes aggeralis, profecto mihi videris decennio factus esse iuvenilior; tot rebus propositis me calefecisti, ut dubitem, an hodie haec omnia absolvamus!«

<sup>1</sup> **Dolendum quidem est, quod iste catulaster est parum locuplēs.** orig. *Schad' nur, daß der Bengel nicht den gehörigen Klei unter den Füßen hat.*

<sup>2</sup> **At pauca ista iugera patris parum sufficiunt!** orig. *aber die paar Demant seines Alten, die täten's denn doch nicht!*

<sup>3</sup> **dominus magistrātus îdemque comes aggerälis superior** orig. *der Herr Amtmann und Oberdeichgraf.*

Tedus autem respondit submissê subridens: »Absolvemus, certê absolvemus, Severe Domine comes aggeralis superior. Hôc asso anserino sumpto certê vires nostrae recreabuntur! Deo gratias ago, quod adhuc semper vigeo valeoque!« Īdem vir in conclavi circumspexit investigans, num Haucus esset in propinquo; deinde quadam cum tranquillitate dignitatis plenâ addidit verba haec: »Itaque per Deum spero fieri posse, ut adhuc per nonnullos annos benedictos fungar munere meo«.

Tum is vir, qui erat Tedo praepositus: »In hanc autem spem« inquit, »care comes aggeralis« nunc propinemus hunc hyalum«.

Elca, quae ientaculum praeparaverat, modo hyalis collisione resonantibus submissê ridens exiit per ianuam conclavis. Deinde puella patinam purgamentorum plenam e coquinâ allatam ut ante ianuam externam volatilibus proiceret, iit per stabulum. Ibidem stabat *Haucus Haienus* furcâ fenum infigens faliscis<sup>1</sup> vaccarum, quas propter malam tempestatem iam nunc stabulis imponere necesse fuerat. Haucus puellâ conspectâ furcam humo impegit. »Heus Elca!« dixit.

Puella pedibus constitit pueroque adnuit. »Heus Hauce, utinam modo intra fuisses !«

»Hocine optas? Curnam, Elca?«

»Dominus comes aggeralis superior laudavit oeconomum<sup>2</sup>!«

»Oeconomumque? Quid hoc ad me?«

»Ille laudavit comitem aggeralem!«

Facies iuvenis facta est ruberrima. »Certê scio« inquit, »quidnam dicas his verbis!«

»Noli erubescere, Hauce. Nam scilicet te ipsum fuisse, qui laudaretur a comite aggerali superiore !«

<sup>1</sup> **falisca**, -ae f. orig. *die Raufe*.

<sup>2</sup> **oeconomus**, -ī m. orig. *der (Haus)wirt*, i.e. *Tede Volkerts*, qui est pater Elcae et comes aggeralis.

Haucus autem puellam aspexit leviter subridens. »Tu quoque laudata es, Elca!«

At ea caput concussit. »Nequaquam, Hauce; dum ego sôla fueram adiutrix, non eramus laudati. Ego enim nihil scio nisi calculare, at tu foris vides omnia, quae comes aggeralis oportet ipse videat, tu me superasti!«

»Nolui alios superare, te quidem minimê« Haucus dixit verecundê caput vaccae semovens. »Cave, mi vaccula maculosa<sup>1</sup>, ne devores furcam, iam iam accipies fenum totum!«

Puella autem breviter rem meditata: »Noli credere« inquit, »me dolere; hoc est enim negotium, quod spectat ad viros!«

Tum Haucus puellae brachium suum porrexit. »Elca, da mihi manum, ut hoc mihi affirmes!«

Tum puella sub superciliis obscuris vehementer erubuit. Elca vocavit: »Quare? Equidem non mentior!«

Haucus voluit respondere; sed illa iam e stabulo exierat, et puer stabat furcam manu tenens et audiens anates gallinasque tetrinnientes<sup>2</sup> gracillantesque<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> **vaccula maculôsa** orig. *Rotbunt*. cfr **vaccula**, -ae f. OLD p.2000, s.v.: "uaccula ~ae f. [VACCA+VLA] A young cow, heifer. uaccula.... secreta cubilia captans *Lydia* 29. tenera... uaccula Priap.85.14. APUL.*Met*.7.25". - **maculôsus**, -a, -um cfr OLD p.1059, s.v.: "...1 Covered with stains or blotches, spotted, blotted. ...2a (of animals, etc.) Variegated, spotted or striped". - **Cavê, mî vaccula maculôsa, nê devorês furcam, iam iam accipiês fenum tötum!** orig. *Komm, Rotbunt, friß mir nicht die Furke auf, du sollst ja alles haben!* Deminutivum, q.e. vaccula, hóc loco velim sit hypocoristicum; nam Haucus blandê atque tenerê loquitur cum vaccâ, quia, quâ est verecundiâ, non audet sic loqui cum Elcâ.

<sup>2</sup> **tetrinniô**, -îre orig. *schnattern*. cfr Georges, op.mem., tom.II, col.3095: „tetrinnio, îre, Naturlaut der Enten, s c h n a t t e r n , ANTHOL.LAT. 762,22 (233,22). " – cfr OLD p.1934, s.v.: "**tetrissitô** ~âre. intr. [onomat.] (of a duck) To utter its natural cry. anatum est tetrissitare. SUET.fr.161.(p.251 Re).

<sup>3</sup> **gracillô**, -âre orig. *krâhen*. Storm adhibet quidem verbum, q.e. „krâhen“ (i.e. Latinê **cucurrîre**, SUET.fr.161p.251,4 R. ANTHOL.LAT.762,25 (233,25)), sed quia hoc potius quadrat ad gallos quam ad gallinas (*Hühner*), utor verbo latino, q.e. **gracillâre** (theod. „gackern“, ANTHOL.LAT.233,25 M.).

**FABULAM NOVELLAM EXCELLENTISSIMAM  
A THEODORO STORM SCRIPTAM**



**C.T. EST**

***Der Schimmelreiter***

**IN LATINUM CONVERTIT**

**NICOLAUS GROSS**

**LEO LATINUS**

***PARS SEXTA SEQUETUR !***



## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*



## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	<b>A</b>	<b>938905-28-9</b>	<b>T.LIVIO DESCRIPTA</b>						
<b>30</b>	<b>00307</b>	<b>978-3-938905-29-6</b>	<b>FABELLAE GRIMMIANAE II</b>	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM SEPTUAGESIMAM PRIMAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Lunae, 27. m. Aug. a. 2018**

**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.de/>